



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

1. Quid sit Consuetudo, quotuplex, quae ejus origo? quae ejus legitimae conditiones? qui actus ejus? quid principis scientia, & tacitus consensus operetur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

## TITULUS III.

DE CONSVETVDINE.

C A S U S.

**M**OS obtinuit, ut à Pontificibus Rom. Dominicâ IV. Quadregesimæ, Lætare dictâ, benedicatur rosa aurea balsamo delibuta, & Catholico alicui Principi honoris ergo, vel præsentis offeratur, vel absentis mittatur. *Ex Ceremoniali Rom.* Quæritur an si per annos v. g. decem eidem Principi, sit Galliarum Regi, oblata fuisset, talis Princeps jus aliquod posset acquirere, ad eam sibi semper deinceps offerendam, non alteri? *Resolut: petenda ex num: 6.*

I. Consuetudo alia est juris, alia facti, de consuetudine facti loqui videtur *lib. 5. Etymol: cap. 3. relatus in 5. dist. 1. Isid: vocata est Consuetudo quia in communi usu est, & clarior S. Thom: in 3. d. 23. q. 1. a. 3. q. 2. consuetudo est frequentia operandi liberè eodem modo. Consuetudo autem juris est veluti altera lex.*

lex parem obligandi potestatem obtinēs,  
 sicuti idem *Isidorus* definivit. *Consuetudo est*  
*ius quoddam moribus institutum, quod pro lege*  
*suscipitur cum lex deficit.* Et *Jureconsultus*  
 L. 32. ff. *inveterata consuetudo pro lege non im-*  
*merito custoditur, & hoc est ius, quod dicitur*  
*moribus institutum.* Porro consuetudo ju-  
 ris ortum suum, & constitutionem suam  
 accipit, à consuetudine facti: quæ aliud  
 non est, quàm mos populi seu actus pub-  
 licitus frequentatus.

2. Neq; tamen ex omni populi more,  
 consuetudine seu actuum frequentia li-  
 bera, ius oritur: sed in primis requiritur,  
 ut mos ille rationalis sit & Reipub: uti-  
 lis; fidei ac Religioni congruens: deinde  
 ut non fiat ex legis antecedentis obliga-  
 tione, cum potius tendat ad novi juris in-  
 troductionem. Atq; hoc est, quod *Isid:*  
 ait, *ius ex moribus populi ortum pro lege*  
*suscipi cum lex deficit.* Igitur ad ius consue-  
 tudinarium sive inducendum sive abro-  
 gandum *Greg: IX. Pontif: Max: cap: cum*  
*tanto de consuet:* duas conditiones exigit,  
 nempe ut consuetudo sit rationalis &  
 legitime præscripta: quarum cum DD.  
 varia

varia